



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Replica Ioan. Eckii Adversvs Scripta secunda Buceri  
apostatæ super actis Ratisponæ**

**Eck, Johannes**

**Ingolstadii, 1543**

**VD16 E 416**

Errorem de lib. arb. reuocarunt Luderani.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30106**

morem meū denigrat. Inter cōpotores suos ait, qui tam sobrie ac frugaliter domiviuam, & frugalius, quā ipse cum sua lupa. Quis me vidit compoculatorem, etiam si alacrior sim cum amicis & hospitibus? Tot labores lectionum in scholis, declamationum in populis, tot librorum à me & manu mea editorum, sobrietatem magis testantur. At respexit forsā in patriarcham suum Lutherum, oinophorum profunde pocula, etiam ad æquales haustus exiccantem, non tamen id eivitis vertam, si solum facit pro more gentis suæ. Fidem ergo gloriosissimo Imp, datam recte seruavi, qui articulum illum non taxarim.

ART. SECVNDVS DE  
libero arbitrio.

**P**Vugnatū ait supra ea re Bucer, forte in somno loquitur. Nihil fuit super ea re pugnatum, vt ex actis Melanchthonis, & Buceri liquet, & nostra Apologia. Petierūt duntaxat additiunculam, quæ non grauatim fuit eis permissa, vt in margine omnium liquet. Et ego in Apologia articulum reliqui inconuulsum: tantummodo declarationem minus sanam restitui. At quid pupugerit Bucerū, non potest dissimulare. Dixi illos iam melius sentire, quā olim senserint, quando Luther & Carlstadius negauerunt penitus lib. arbitr. & q̄ res esset de solo titulo, & quod haberet se pure passiuè ad opus bonum, in quo nihil omnino operaretur, & nullam prorsus haberet actiuitatem, vt in disputatione Lipsica efficacissimis autoritatibus & rationibus contrarium euicimus. Pudet Bucerum Lutheranae & Carlstadianæ sententiæ, ideo mendacissime negat vnquam à suis negatum lib. arb. nec rubet, vtcunq; fortiter mentiatur. Non legit assertiones Lutheri in articulis per bullam damnatis, vbi negat esse in potestate nostra, etiam operationes

Error de  
libero ar.  
reuocatus  
per Luthe-  
ranos.

H natus

Lib. arbit.  
negatum  
a Luthero.

naturales operari. Et infra Non est dubium, satana magis  
stro, in ecclesiam venisse hoc nomen lib. arbitrium, ad sedu-  
cendos homines. Et infra Male dixi, quod lib. arbit. ante  
gratiam sit res de solo titulo, sed simpliciter debui dicere,  
lib. arbit. est figmentum in rebus, seu titulus sine re, quia nul-  
li est in manu cogitare quippiam boni aut mali, quia omnia  
de necessitate absoluta eueniunt. Audis ergo miserande  
Bucer, lib. arbit. aliquando negatum à Luthero, cui subscri-  
psit, nedum Carlstadius, sed etiam Melanchthon?

NOVA HAERESIS BUCERI.

Haereses  
nouae tres  
Buceri.  
Responde  
si potes.

**A**T audiamus nationalis Concilij praesidentem: au-  
diamus eum qui synceram doctrinam euangelij sum-  
ma pietate restituit. Inquit enim .1. Deus efficit omnia in  
omnibus certo ac infallibili consilio, vt quantum ad  
ipsum attinet, ex necessitate eueniant omnia .2. Nec enim  
fieri potest, vt deus agat alia, quam agit .3. Quia non potest  
quicquam melius agi.

Rom. 9

Primum est Vuiclephicum, cuius articulus in Concilio  
Constantien. damnatus est, quod omnia de necessitate eue-  
niant. Euenirent autem stante illo dicto: quia cum nemo  
possit voluntati diuinæ resistere, si omnia de necessitate eue-  
nient. Plus enim influit causa prima, quam quaecumq; cau-  
sa secunda. Si ergo prima causa influit necessitatem, causa se-  
cunda, quæ est impotentior, non potest influere contingen-  
tiam. Et euidenter ostenditur hoc de anima humana, quia  
deus cuilibet homini creat animam, iuxta illud Psalmistae  
Qui finxit sigillatim corda eorum. Cum autem animæ cre-  
entur immediate, & à solo deo, tunc de necessitate crearen-  
tur. Non enim possunt habere contingentiam à causa secun-  
da, quia nulla creatura potest producere animam intellec-  
tuam. Fuisset igitur magna miseria dei, si necessitatus fuisset  
create animam Esau, Iudæ, Neronis, &c.

Autor de  
causis.

Psalm. 32

Secun-